

Op. II

TRANSLATIO SACRI  
CONCILII EX TRIDEN-  
TO AD CIVITATEM  
BONONIAE.



Bononiæ Apud Anselmum Giaccarellum.  
M. D. XLVIII.

Fo. II.

## ACTA OCTAVAE SES- SIONIS TRIDENTINAE

*Super Translatione sacri Concilii ex Tridento ad  
Ciuitatem Bononiae.*



**N N O M I N E** Domini nostri Iesu Christi, amē. Anno à nativitate eiusdē millesimo quingentesimo quadragesimo septimo: Indictione quinta, die uero' Veneris, undecima mensis Martii. Pontificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini nostri, Domini Pauli diuina prouidentia Papæ Tertii, anno Tertiodecimo. Conuenerunt in Ecclesia cathedrali Tridentina sub inuocatione sancti Vigilii, in loco ad Sessiones habendas, et Concilium celebrandū deputato, pro Sessione habēda ad infrascripta, Reuerendissimi, & Illustrissimi Domini, Domini Ioannesmaria Ep̄us Prænestinus, de Monte, & Marcellus tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Præsbyter, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ipsius sacri Concilii Præsidentes, et Apostolici de latere Legati: Necnon Reuerendissimus, et Illustrissimus Dominus Petrus Paceucus Cardinalis Geennen, ac Reueren. Domini Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, et Generales ordinum infrascripti: ubi Reueren. in Christo pater, & Dominus Episcopus Britonoriensis cantauit Missam solennem de Spiritu sancto. Qua finita, tam prædicti Reuerendissimi, et Illustrissimi Domini Præsidentes, & legati, quam cœteri Prælati omnes acceperunt solita paramenta, & mitras. Deinde per Reuerendissimum, et Illustrissimum Dominum Cardinalem de Monte Præsidentem, et Legatum præfatum, decantatæ sunt orationes, et preces in publicis Sessionibus cantari consuetæ, ac solitæ ceremoniæ de more peractæ fuerunt: inuocato etiam auxilio sancti Spiritus, per hymnum. Veni creator spiritus. & decantatis a' cantoribus Lætaniis, & per Diaconum Euangelio. Euntas doceste. Matth. X. Quibus omnibus completis, et ipsis Reuerendissimis, & Illustrissimis Dominis Presidentibus, et Legatis se-

A

## TRANSLATIO.

dentibus ante altare maius, uersa facie ad patres Concilii, præfatus Reuerendissimus, et Illustrissimus Dominus Cardinalis de Monte Legatus, et Præses alta, et intelligibili uoce ex scripto recitauit, legit de uerbo ad uerbum, & pronuntiauit ea, quæ sequuntur. Videlicet.

**N**on ignoratis Patres, quæ induabus proximis præcedentibus Congregationibus ad prohibendam imminentem dissolutionem Concilii, & ad eius conseruationem, et prosequutionem: necnon pro communi omnium salute, et uitæ securitate acta fuerunt. Quæ etiam in hoc loco rursus repetere, et recensere non pigebit.

**P**roposuimus enim plures ex patribus post celebratam Sessionem recessisse, et eorum aliquos nobis minime salutatis: aliquos etiam nobis prohibentibus, et rogatos à nobis, ut remanerent per aliquod breuissimi temporis spatium: multos etiam, qui remanserunt, adiuuisse nos die antecedenti, et protestatos fuisse se omnino discedere uelle ob hanc influentiam, siue morbum ponticularum, seu lenticularum. Paratos autem se esse affirmantes ad obediendum nobis, et in Concilio permanendum, si in aliquo loco permaneremus, in quo sine uitæ discrimine interresce possemus. Vocatos statim fuisse à nobis medicos, uidelicet Medicum Concilii, et Medicum domesticum nostrum, et accurate interrogatos fuisse à nobis super ipsa influentia, siue morbo: Medicos iplos exposuisse nobis nonnulla de ipsius morbi sauitia, quæ cum uisa fuissent magna consideratione digna, non solum pro nostra, sed etiam pro omnium, et singulorum Patrum Concilii salute, iniunxit nos eis, ut quæ oretenus nobis exposuerant, in scriptis ponerent, prout posuerunt, et nos scripta ipsa in Congregatione legimus, et recitauimus.

**D**iximus etiam quod cum causa communis esset, & uidéremus ex hac Patrum profectione Concilium dissolui, existimasse nos ad officium nostrum maximè pertinere, ut Patres publicè, et in generali Congregatione alloqueremur, & de his omnibus admoneremus: rogantes eos, ut liberè omni humano affectu deposito, solum Deum præ oculis habētes, in medium proferrent quicquid spiritus sanctus suggereret eis pro cōmuni securitate, & Cō-

## CONCILII. Fo. III.

cilii conseruatione: quod dissolui nullo modo uolebamus, neque uolumus.

**D**iximus etiam nos auctores, aut persuasores esse nolle alicuius deliberationis, sed deliberationem ipsam, liberam, et integrum relinquere Patribus: & protestati fuimus, quod adducta per nos, siue etiam per ipsos Medicos tam uerbo, quam in scriptis, nullam haberent persuasionis uim: satis nobis esse per nos admonitos fuisse Patres in quo statu res sint.

**P**rotestati etiam fuimus nos cum omni uitæ nostræ discriminare paratos esse ad remanendum hic usq; ad finem Concilii, si Patres uellent remanere nobiscum, et nos minime deserere. Et hæc fuit summa propositionis nostræ. Dictæ fuerunt sententiae. Aliqui putabant suspendendum esse Concilium: aliqui transferencendum: aliqui dandam esse licentiam Patribus, ut possint secedere ad loca uicina, non tamen ultra tres dietas, et expectandam esse deliberationem Sanctissimi Domini Nostri super loco: aliqui retardandam esse deliberationem ad aliquod tempus: contradicentibus tamen, et reclamantibus aliis, & afferentibus qualitatem, & conditionem ipsius morbi nullam pati moram.

**A**uditis Patrum sententiis, diximus quamcunq; prouisionem, et deliberationem nos probare posse, dummodo Concilium non dissoluatur.

**E**t quia multi rogauerant nos, ut uellemus super hac re aliud lumen eis præbere, cum quo possent in hac repentina necessitate dirigere sententias suas: repetentes illud, quod antea sæpe dictum fuerat à nobis, scilicet, omnem nostram curam, et solicitudinem, ad id tendere, ut Concilium conseruetur, & suum possit habere progressum, subiunximus, nos satis, et undequaq; probare non posse suspensionem, cum suspensio ipsa habitura esset speciem dissolutionis, saltem quoad hominum opinionem.

**P**rimum, et præcipuum, quod se se in tota hac ratione siue discursu offerret nobis esse, ut postquam tot Patres perseverabat in suo discedendi proposito, & nullis persuasionibus adduci poterant, ut per breuissimum saltem temporis spatium nobiscum remanere uellent, et erant in tanto numero, ut longe maiorem partem Concilii facerent, designaremus locum, in quo certi es-

# TRANSLATIO.

Iemus Concilium ipsum constitui posse, et Patres omnes sine aliqua contradictione, seu difficultate ibidem esse recipiendos.

**S**ecundum, quod locus ipse esset huic ciuitati propinquus, quam fieri posset, non solum pro maiori commoditate illuc accedendi, sed etiam pro maiori facilitate redeundi ad hanc Vrbem, si quando cestantibus per Dei gratiam impedimentis, quae nunc urgent, uideretur Sanctissimo Domino nostro pro rebus Germaniae Concilium esse in hac Ciuitate reducendum, et reponendum.

**T**ertium, quod locus ipse esset capax, haberet salubritatem aeris, copiam rerum, quae sunt humano usui, et uictui necessaria, et alia requisita: & ut uno nos absoluemus uerbo, solam Bononiam a pluribus nominatam uideri nobis his omnibus intentionibus accommodatam. Non dubitare nos, quin ibi recipiamur cum magna omnium illorum ciuium gratulatione, et ueneratione erga singulos Patres. De illius ciuitatis dotibus differere super uacaneum esse, cum paucis Ciuitatibus Italiæ posthaberi possit. Viderique nobis hac uia satisfieri illorum opinioni, qui uolebant Patres non abesse ultra tres dietas, cum non multo longiori itinere distet Bononia: itemque sanctissimi Domini nostri deliberationem expectari: non dissolui Concilium: non generari scandulum in populo christiano: non omitti celebrationem Sessionis iam indictæ, & reseruari deliberationem Sanctitati suæ pro subsequenti tempore, uel in eodem loco, uel in alio, uel etiam in hac ipsa Ciuitate Tridentina: Denique si Concilium conseruetur, & manuteneatur, omnia bona sperare nos posse: si dissoluatur, omnia mala. Quod recedant qui uelint, & eant quocumque uelint, & remaneant qui uoluerint remanere, nullo modo nos probare posse.

**H**is a nobis expositis, Patres omnes dixerunt sententias suas, et pro longe maiori parte concordes, et conformes fuerunt, ut Concilium ipsum Bononiam transferatur.

**Q**ibus auditis, diximus, et pro rei grauitate, et pro maiori firmitate eorum, quae decernenda essent, dignum, & æquum esse, ut omnis nostra in hac re deliberatio ab inuocatione diuini numinis initium sumeret, & propterea alta uoce monuimus omnes, ut

# CONCILII. Fo. III.

nes, ut hoc ipso die, et hac hora ad hanc Ecclesiam cum paramentis consuetis conuenirent, facturi eam deliberationem, quam Spiritus sanctus mentibus Patrum inspiraret.

**D**e his omnibus estis uos Patres coram Deo, & hominibus locupletissimi testes. Audietis etiam nunc ea, quæ proferet Dominus Promotor Concilii in hac materia.

**E**t statim ipse Promotor dixit. Reuerendissimi, et Illustrissimi Domini, & Amplissimi Patres. Cum audissem in congregationibus proxime factis, aliquos Patres desiderare fieri aliquam inuestigationem super hac infectione, & supitione, examinaui tam ex officio, quam ex commissione, & mandato Reuerendissimorum, & Illustrissimorum Dominorum Legatorum nonnullos testes super quibusdam articulis, quos peto recipi, et admitti. &c. Et Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus Cardinalis de Motte Præsidens, & Legatus præfatus, dixit. Placet, quod legantur? Et omnes Patres responderunt, legantur. Et statim articuli ipsi cum depositionibus lecti fuerunt per D. Claudium della Cafa sacri Concilii Notarium, coram omnibus alta, et intelligibili uoce. Quorum, et quarum tenor sequitur, et est talis.

Promotor siue Procurator sacri Concilii Tridentin. saluis, &c. ponit, et dicit.

1. Quod a mense citra, & supra per multos dies in ciuitate Tridentina inualuit morbus lenticularum, siue ponticularis appellatus.
2. Quod morbus huiusmodi pestilēs est, et ex eo plures moriuntur.
3. Quod morbus huiusmodi est contagiosus, et ex uno in aliud facile transfunditur.
4. Quod a mense citra plures, ac plures mortui sunt in ciuitate prædicta huiusmodi morbo laborantes, & inter ceteros Episcopus Caputaquen. Generalis obseruantiae, et canonicus Balduinus, & alii complures.
5. Quod laborantes ex huiusmodi morbo ut plurimum moriuntur. Qui autem superuiuunt, ut plurimum manchi, aut debiles remanent, aut stolidi.
6. Quod in proximis, & uiciniis agris, et uillis plures hoc eodem morbo laborant, et morbo huiusmodi pereunt in dies.
7. Quod adueniente calore, solet ut plurimum morbus huiusmodi

# TRANSLATIO.

- crescere, et in pestem conuerti.
8. Quod omnia pene ad uictum necessaria uenient extrinsecus, et portantur ab exteris, quoniam in agro Tridentino non nascuntur fruges, quae sufficient pro tribus mensibus.
  9. Quod si aliquis forte peste hic moreretur, statim banniretur ciuitas Tridentina a' Dominio Venetorum, & aliis uicinis Terris, et propterea non possent amplius conduci necessaria ad uictum pro Prælatis, & concilio.
  10. Quod stante peste in Ciuitate Tridentina, non admitterentur aliqui uenientes ab illa in propinquis Ciuitatibus.
  11. Quod in hac parua admodum Ciuitate sunt de præsenti quadraginta, et ultra hoc morbo laborantes.
  12. Quod Medici Tridentinæ Ciuitatis sæpius requisiti uisitare infirmos, hoc facere recusauerunt, & recusant de præsenti.
  13. Quod præmissa omnia, et singula fuerunt, & sunt uera, publica, & notoria, &c.
- Quare, &c.

## DEPOSITIONES TESTIVM SVPER infestatione ponticularum seu lenticularum.

Die X. Martii. M. D. XLVII. Tridenti.

**F**rater Andreas de Maffeoiiis Aretin. Ordin. seruorum interrogatus medio iuramento super articulis datis per Magnificum Iuris utriusq[ue] Doctorem Dominum Herculem Seuerolum, Promotorem sacri Tridentini Concilii, depositus, ut infra.

**S**Vper primo interrogatus, dixit Articulū esse uerum, Interrogatus in causa scientiæ, dixit hoc scire quia uidit quotidie a' dicto tempore, et uigilia Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi citra, seppelliri mortuos in cimiterio sanctæ Mariæ maioris, ex eodem morbo, ut asserebatur, defunctos, cum ante dictum tempus pauci admodum sepelliri consueuerint.

Super Secundo dixit Articulum uerum, in causa scientiæ dixit scire, quod plures habentes dictum morbum perierunt.

Super Tertio respondit articulum uerum ex communi fama.

Super

## CONCILII. Fo. V.

Super Quarto dixit articulum uerum. In causa scientiæ dixit se scire, quia uidit predictos tres articulatos mortuos esse, et eorum funeri interfuit.

Super Quinto dixit nihil scire.

Super Sexto dixit articulum uerum ex publica uoce, et fama: in causa scientiæ quod audiuit hoc in Platea publica ab hominibus ipsarum uillarum, et ex uoce omnium.

Super Septimo dixit articulum uerum, et quod audiuit ex fidelignis personis, et ita est publica uox, et fama, quod adueniente calore erit maximum periculum pestis.

Super Octavo dixit articulum uerum, in causa scientiæ, quia experientia ipsa didicit omnia omnino, quæ ad uictum Concilii necessaria sunt, aliunde uenire, et a' mercatoribus forensibus emere oportere.

Super Nono dixit articulum uerum, in causa scientiæ, quia experimento didicit, quod dum alias mortui essent duo, uel tres in Terra Rouereti ex peste (ut asserebatur) licet nullus mortuus esset ex eodem morbo in ciuitate Tridenti, interdictus tamē fuit comeatus huic ciuitati, adeò ut magna omnium rerum ad uictum necessiarum hic inopia esset.

Super Decimo dixit articulum uerū, in causa scientiæ dixit, quod cum abesset ab hac ciuitate, et rursus reuersurus cum Reueren. Patre Domino Generali, tempore quo fama uolabat dicta Terram Rouereti esse infectam, necesse habuit per sex horas noctis permanere sub dio ante portam ciuitatis Veronen. qua itur uersus Mantuam, antequam ipsam ciuitatem Veronæ ingredi potuerit.

Super Undecimo dixit audiuisse plures infirmos esse, sed nescire numerum.

Super Duodecimo dixit nihil scire.

Item quod præmissa omnia, et singula fuerunt, et sunt uera.

Eisdem die, anno, et loco.

Magister Laurentius Mazochius de Castello Franco ordinis Ser-

B

## TRANSLATIO.

uorum , interrogatus medio iuramento , depositus super ipsis articulis, ut infra.

Super primo dixit articulum esse uerum ex publica uoce, et fama, et quod uidit a mense citra quotidie postquam reuersus est ad ciuitatem Tridenti, in cimiterio sanctæ Mariæ maioris sepeli ri cadavera mortuorum, nūc unum, nunc duo, nunc tria, et quādoquā quatuor, uno, et eodem die: et ulterius audiuit iisdem diebus alios defunctos sepultos apud sanctum Petrum, et apud sanctum Vigilium, et omnes istos, ut plurimum, morbo articulato defunctos esse.

Super Secundo dixit articulum uerum ex ea cognitione, quam habet huiusmodi morbi, & quod libenter discessisset ab hac ciuitate, nisi a Reueren. Domino Generali suo fuisse prohibitus, quia iste morbus uidetur nuncius Epidimiæ.

Super Tertio dixit articulum uerum ex cognitione, quam habet.

Super Quarto dixit articulum uerum, quia uidit prædictos omnes mortuos, et interfuit eorum exequiis, et audiuit eos ex publica uoce, et fama ex tali morbo defunctos esse.

Super Quinto dixit articulum esse uerum de auditu.

Super Sexto dixit articulum esse uerum ex publica uoce, fama, et auditu.

Super Septimo dixit articulum esse uerum ex cognitione, quam habet de huiusmodi morbo.

Super Octavo dixit articulum esse uerum ex ea cognitione, quam habet de ipso agro.

Super Nono dixit articulum uerum, quia nouit mores Domini rum Venetorum exactissimos in huiusmodi rebus, cum sit eorum uassallus.

Super Decimo dixit articulum uerum: in causa scientiæ refert se ad priorem articulum.

Super Undecimo dixit articulum esse uerum de publica uoce, et fama, nescit tamen numerum.

Super Duodecimo dixit ex auditu scire, et quod audiuit Episcopum Caputaquen. defunctum esse ex defectu medicinæ, quæ reperta fuit apud aromatarios Tridenti.

## CONCILII. Fo. VI.

Super Tertiodecimo dixit nihil scire.

Eisdem die, anno, et loco.

Reuerendus Dominus Antonius Pighetus Commissarius Apo stolicus in sacro Concilio, medio iuramento super articulis præfatis depositus, ut infra.

Super Primo dixit, articulum esse uerum, in causa scientiæ audi uit a patrono domus suæ, quām inhabitat, et ab eius uxore, et uidit multos sepelire defunctos ex ipso morbo, et in specie Balduinum canonicum, et audiuit a pluribus una die sepultos fuisse septem, altera uero octo, et hoc a sex diebus ci tra: et dixit quod ipse noluit ire ad uisitandum infirmos pro pter timorem, quem habet huiusmodi morbi.

Super Secundo dixit articulum uerum ex auditu.

Super Tertio dixit nescire, quia non est Medicus.

Super Quarto dixit, articulum esse uerum, quia scit prædictos es se mortuos, et sepultos, et (ut audiuit) ex ipso morbo.

Super Quinto, articulum uerum, et hoc scire, quia uidit, et allo quatus est famulum Reueren. Domini Episcopi Salutarum, qui ex morbo paucis ante diebus contracto, remansit stolidus, et sine intellectu.

Super Sexto dixit nescire, nisi ex auditu, quia non peragravit hu iusmodi Villas.

Super Septimo dixit, articulum uerum ex publica uoce, et fama, quia adueniente calore solent huiusmodi morbi longe, late quæ crassari.

Super Octavo dixit, articulum uerum pro experientia, quam ha bet istius Territorii, et ex officio, quod gesit in hac ciuitate ius suu Sanctissimi Domini nostri, quod in huiusmodi Territorio non oritur neque frumentum, neque bladum pro tribus mensibus, et quod pro habendo comeatu fuit saepius Mediolani, Mantua, Ferraria, et Venetiis cum breue suæ Sanctitatis.

Super Nono credit articulum esse uerum.

Super Decimo dixit articulum uerum.

B ii

## TRANSLATIO.

Super Undecimo scit plures esse infirmos, sed nescit numerum.  
Super Duodecimo nihil scit.

Super Tertiodecimo dixit audiuisse à patrono domus sua, quod  
Medici huius Ciuitatis noluerunt uisitare Vrsulam neptem  
eiusdem patroni.

Eisdem die, anno, & loco.

Dominicus de Volano, uellutarius habitator Tridenti, medio iu-  
ramento depositus, ut infra.

Quod scit plures esse infirmos ex morbo lenticularum, etiam  
ultra quinquaginta, et habere etiam uxorem ægrotantem hu-  
iusmodi morbo, et quod requisuit Dominum Iulium Alexan-  
drinum medicum huius Ciuitatis, ut uisitaret eius uxorem, et  
quod recusauit, ex eo quod cognouit eam laborare dicto morbo,  
et quod nunc moriuntur in maiori numero quam pro præterito:  
et quod quando est suspicio pestis in hac Ciuitate, Veneti prohi-  
bent comeatum, et ideo ciuitas multum patitur, quia in eius ter-  
ritorio non colligitur tantum frumenti, neque bladi, quod suffi-  
ciat pro tribus mensibus.

Eisdem die, anno, et loco.

Raphael de Paladio clericus de Balneo nullius dioecesis medio  
iuramento depositus, ut infra.

Super primo dixit articulum uerum, in causa scientiæ, quia uidit  
sepeliri in qualibet Ecclesia quotidie aliquos, quos intelligebat  
mortuos esse ex hoc morbo.

Super Secundo dixit articulum uerum ex cōmuni uoce, et fama.  
Super Tertio refert se ad secundum, et quod audiuimus cōmuniter  
ab omnibus dici, & etiam à medicis, quod iste morbus est con-  
tagiosus.

Super Quarto dixit esse uerum, et audiuimus esse mortuos ex isto  
morbo.

Super Quinto dixit articulum uerum, in causa scientiæ, quia in

## CONCILII. Fo. VII.

domo Reueren. Domini Episcopi Salutarum patroni sui,  
coquus dominationis suæ infirmatus fuit hac febre pestilen-  
tiali, et quod contra opinionem omnium Medicorum libera-  
tus fuit, sed euasit stolidus, & insanus, prout est de præsentis: et  
quod audiuimus ex cōsobrino suo a XV. diebus citra, quod eodem  
morbo perierunt, et pereunt indies plures milites, et qui super-  
uiuunt plerumque priuati mente, uel aliquibus sensibus, et hoc  
dicebat quādo uidebat coquum prædictum esse huiusmodi.

Super Sesto dixit, articulum uerum ex auditu.

Super Septimo dixit nescire, sed continet se à uisitatione propter  
timorem contagii.

Super Octavo dixit, articulum uerum ex auditu.

Super Nonno, et Decimo dixit nihil scire, sed credere.

Super Undecimo dixit nescire numerū, sed plures esse ægrotates.

Super Duodecimo, & Tertiodecimo dixit nihil scire.

Eisdem die, anno, et loco.

Don Jacobus de Cresentiis clericus Burgi sancti Sepulchri, capel-  
lanus Reueren. Domini Episcopi Salutarum medio iuramen-  
to depositus, ut infra.

Super Primo dixit uidisse quotidie sepeliri plures in qualibet  
Ecclesia, ut ferebatur, ex hoc morbo defunctos.

Super Secundo dixit se audiuisse à Domino Fracastorio dum co-  
mederet cum Domino suo, et à Magistro Balduino, dum cura-  
ret coquum suū, & haberet eum pro desperato, et ex aliis quod  
iste morbus est pestilens, et de facili homines ex eo moriuntur,  
et quod est difficilis curatio istius morbi.

Super Tertio refert se ad secundum.

Super Quarto dixit, Articulatos esse mortuos ex hoc morbo, Ge-  
nerali excepto, quem nescit si ex ipso morbo obierit.

Super Quinto dixit, articulum uerum, et quoad defectum sen-  
sus dixit se scire ab exemplo domestici coqui domus, qui post  
quam desperatus erat de salute, restitutus sanitati, remansit  
stolidus.

Super Sexto nisi ex auditu, et super reliquis ita.

## TRANSLATIO.

Eisdem die, anno, & loco.

Silvester de Guaino de Forliuio medio iuramento depositus, ut infra.

Super primo dixit, articulum esse uerum, publicum, & notorium, et quod scit hoc, quia publice ita tenetur ab omnibus.

Super Secundo dixit, articulum uerum ex publica uoce, et fama.

Super Tertio nihil scit, nisi quod audiuimus ex Medicis.

Super Quarto dixit, articulum esse uerum publicum, et notorium, et ultra predictos scit esse defunctum Dominum Marcumantonium Scalcum secretum Reuerendissimi, et Illustrissimi Domini Cardinalis sanctae Crucis, Domini sui ex huiusmodi morbo, et quod habebat carbunculum in coxia dextra, et quod mulier quaedam nomine Catherina, quae assistebat ei in infirmitate paulo post infirmata est, et laborauit pluribus diebus.

Super Quinto dixit articulum esse notorium, et publicum.

Super Sexto dixit, articulum uerum ex publica uoce, et fama, & præcipue in Terra Rouereti, in qua Terra audiuimus plures infirmos esse hoc morbo.

Super Septimo refert se ad Sextum.

Super Octavo dixit, articulum esse uerum, notorium, et publicum, præterquam de uino, cuius copia habetur.

Super Nono habet articulum pro notorio, et quod Prælati uolentes recedere ab hac ciuitate, non admitteretur in aliqua loca.

Super Decimo dixit nihil scire.

Super Undecimo dixit scire plures esse infirmos in hac Ciuitate, ut pote Dominum Pompeium magistrum ceremoniarum, & duas mulieres in quadam domo propinqua Palatio Reuerendissimum Legatorum.

Eisdem die, anno, et loco.

Claudius Iacobi Ianuensis de Ciamberico medio iuramento depositus, ut infra.

Super Primo dixit, articulum esse uerum, & notorium, et quod uidit in uno die sepeliri quinque mortuos, quorum unum fere-

## CONCILII. Fo. VIII.

batur periisse lenticulis.

Sepur Secundo dixit intellexisse lenticulas esse pestiferas a mente citra.

Super Tertio refert se ad secundum.

Super Quarto dixit scire illos mortuos esse, et sepultos, sed nescire si Generalis, et canonicus Balduinus perierunt hoc morbo, uel alio, sed bene scit quod quotidie plures moriuntur, & pluri mi infirmantur, in causa scientiae, quia uidit sepelire multos, quos ferebatur laborasse hoc morbo, & quod est notorium, et manifestum.

Super Quinto dixit cognoscere coquum Reueren. Domini Episcopi Salutiarum, qui ex morbo lenticularum euasit stolidus, et mente captus, et quod uidit cum una dierum proiicere numeros per domum.

Super Sexto dixit articulum uerum ex auditu.

Super Septimo refert se ad supra testificata.

Super Octavo dixit articulum esse uerum, notorium, et publicum præterquam de uino, cuius copia habetur.

Super Nono, et reliquis dixit nihil scire.

Eisdem die, anno, et loco.

Catherina Mediolanensis habitatrix in ciuitate Tridenti medio iuramento depositus, ut infra.

Super primo dixit, articulum esse notorium, publicum, et manifestum, et quod ipsa a principio Februarii citra habuit quinque in manibus huiusmodi morbo laborantes, quibus adstitit gubernatrix, Videlicet, Dominum Marcumantonium Scalcum secretum Reuerendissimi, & Illustrissimi Domini Cardinalis sanctae Crucis, Antonium de Castrouilla, et Capitaneum Rodulfum de Pitigliano, et Capitaneum Alphonsum de Pisis, et Octavianum de Romandiola, quorum tres decesserunt, et Dominus ipse Marcusantonius habebat carbunculum in crure dextro, et quod deinceps ipsa laborauit hoc morbo per XV. dies, et tandem ægre conualuit, & nunc assistit Domino Pompeo magistro ceremonia-

## TRANSLATIO.

rum, de cuius uita dubitat, quia cognoscit in eo omnia signa, quæ habebat dictus D. Marcus Antonius.

Super Secundo dixit articulum uerum esse, et notorium, et indubitatum, et quod milites portauerunt huc morbum istum.

Super Tertio reffert se ad secundum.

Super Quarto dixit, articulum uerum, & notorium, et publicum, et quod canonicus Balduinus contraxit morbum huiusmodi in curia, siue exercitu Cæsaris.

Super Quinto dixit nescire.

Super Sexto, et Septimo dixit nihil scire præterquam quod supra dixit.

Super reliquis dixit nihil scire.

Quibus articulis, et depositionibus per Dominum Claudium della casa Concilii Notarium lectis, ipse Promotor exhibit etiam cedulam depositionis medicorum lectam in Congregatione generali, et petiit admitti. Et tunc Reuerendissimus, et Illustrissimus Dominus Cardinalis de Monte, Præsidens, et Legatus præfatus, dixit alta, et intelligibili uoce. Placet quod legatur, aut habeatur pro lecta? Et responderunt omnes simul: habeatur pro lecta: cuius tenor talis est.

### Depositio Medicorum super morbo ponticula, seu lenticulari.

Requisiti fuimus nos Hieronymus Fracastorius Veronen, sacri huius Concilii Medicus, & Balduinus de Balduinis de Barga, Reuerendissimi, et Illustrissimi D. Cardinalis de Monte medicus, ab Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Legatis sacrosancti Concilii Tridentini, ut super praua hac infectione, quæ nunc in agro Tridentino uiget, et crassatur, quam lenticulas, seu ponticulas uocant, in scriptis fideliter deponeremus sententias nostras: uidelicet quæ natura sit eius infectionis, et unde dependeat, et quæ pericula secum trahat, et quibus magis, aut minus periculosa sit: Et utrum mutatio huius aeris præseruare homines possit. Super quibus habita diligenter, et matura consideratione, existimantes et debiti nostri esse parere, atque obsequi Illustrissimis, et Reuerendissimis

## CONCILII. Fo. IX.

dissimis Dominis nostris, et pium consulere ubi de uita, et salute multorum agatur, concorditer, et fideliter ita respondemus.

Primum quod infectio hæc reducenda est ad genus earum febrium, quæ pestilentes uocari solent. Quod manifestum esse potest, si definitionem pestilentium febrium, positam ab auctoribus, Galeno præsertim in Epidemiis, et in de differentiis febrium, et ab Auicena cap. proprio. Si etiā signa ab eisdem tradita respiciamus: pestilentem enim febrem uocant, quæ et contagiosa est, & plures perdit: contagiosa quidem ad differentiam aliarum, quæ putridæ sunt, non autem contagiosæ: plures uero perdentem, ad differentiam quarundam febrium, quæ contagiosæ sunt, sed ut plurimum salubres: sicuti Variola, et morbilli uocati. Signa uero pestilentum febrium, quæ ipsi tradunt, sunt, quod illæ introrsum quidem perturbant, extra uero quietæ apparent: lenes item uidetur, et placidæ, maxime à principiis: sed tamen uirtutem labefactant, æger totus fractus sibi uidetur, delirium mox, aut furor ut plurimum, consequitur: oculi caligant, pulsus parui sunt, et rari, sed inequales, urinæ conturbatae, aut quale est uinum granatorū, aut similes sanis, ægro nihilominus tendente ad mortem. Excrementa corrupta, liquida, fœtentia tum apparent, aut abscessus, et bubones circa emunctoria, aut parotides circa aures, aut maculae in dorso, & in brachiis, quales lenticulæ sunt, uel puncturæ pulicum: quæ si rectè consideremus, uidemus febres has ( quas lenticulas uocant ) prædicta omnia præferre. Nam et contagiosæ sunt, licet non ita subito, et de facili, sicut quædam aliae pestilentes febres: plures etiam perdunt, ut longa experientia, et hic uidemus, et aliæ uidimus in multis locis, sicuti Anno Millefimo quingentesimo uigesimo octavo. Habent item omnia alia prædicta signa circa uirtutem, circa fractionem, circa pulsuum, circa urinas, & excrementa: sed illud potissimum, quod apparent fere omnibus maculae circa dorsum, & brachia, & pectus, quæ lenticulis, aut puncturis pulicum similes sunt, unde, et nomen accepere. Quare nemini dubium esse debet, quin febres hæ ad genus pestilentum reduci debeat. Verum cum mul-

C

## TRANSLATIO.

ti gradus inter illas sint, et differentiae multae: istae quidem non exacte pestilentes, et saeuæ sunt: sed in primis gradibus pestilentum constitutæ, inter quas et sui etiam gradus sunt, et aliæ minus, aliæ magis contagiosæ, et saeuæ cernuntur: consistit autem malignitas earum in modo quodam putrefactionis malæ, quæ uestalde larga, & profunda est, ac sordida, ut plurimum in massa sanguinis facta, in qua seminaria quædam gignuntur, quæ ad alium de-lata, contagionem, atque infectionem consimilem inferunt, quæ animæ, et spiritibus, tanquam uenenum quoddam inimica plurimum est. Fit autem mala illa, et sordida putrefactio interdum quidem in nobis primo, interdum extrinsecè concipitur: quandoque quidem ab uno in alium recepta, quandoque ab aere, in quo seminaria consimilia putrefactionis gigni solent: quoniam, et aer ipse diuersimode corrupti consuevit. Quare attractus, & per anhelitum, et per uenas immittit seminaria in nos, unde mala illa, et contagiosa accedit putrefactio. Videtur autem quæ nunc uiget infectio, ex aere potissimum dependere, cuius signum est, quod ubique iam, et in hac Ciuitate, et in Viciis, & Villis late crassatur. Quod nec in contagione unius ab alio, nec in particularem aliam dispositionem referri potest: sed in aerem solum. Pericula autem, quæ secum trahit hæc infectio, satis manifesta sunt. Nam primum febris ex qualibet leui causa, et occasione innascitur: ex qua ut plurimum homines pereunt, et qui evadunt, alii surdi remanent, alii sine memoria, alii obtusi ingenio: sunt autem in periculo alii magis, alii minus: magis qui uel natura, uel usu humidiores sunt, et immundi uictus: qui latorum pororum, qui negotiorum multorum sunt, et sanguinem agitant. Sed quod maxime considerandum est, magis uidentur periclitari nobiles, et delicati, quam plebs: quod contra fit in ueris pestilentibus, in quibus plebs magis periclitatur, quam nobiles: causa diuersitatis est, quod pestilentia magis concipitur ab uno in alium, minus autem ab aere. In hac autem infectione e' contra fit. In pestilenta igitur plebs propter paupertatem, et incommoditatem multorum, et necessitatem conuersandi, magis patitur. In hac autem febre minus, quia minus ab aere patitur, quia magis

## CONCILII. Fo. X.

resistit propter robur, et fortitudinem corporis: magis autem nobiles, ut potè delicati: propter quod nobiles periclitantur magis. Quapropter promptum est unicuique uidere quam salutaris esse possit mutatio aeris. Atque hæc sunt, quæ nobis super quæsitis respondenda uisa sunt. In quorum fidem manu propria subscripsimus.

Ego Hieronymus Fracastorius manu propria subscripsi.

Ego Balduinus de Balduinis manu propria subscripsi

Die Decima Martii. M. D. XLVII. Tridenti in ædibus residetia Reuerendissimorum, & Illustrissimorum Dominorum Legatorum sacrosancti Concilii. In mei Notarii præsentia, et honorabilium virorum Domini Ambrosii Monticolæ Præsbyteri Lünen. Sarazanen. Dioecesis, & Domini Ludouici Mingotii layci Britonoriæ. testium ad hoc specialiter uocatorum, Magnificus, & egregius artium, & medicinæ Doctor. D. Hieronymus Fracastorius suprascriptus, ipsius sacri Concilii medicus conductus, & stipendiatus, recognouit medio iuramento, manu tactis scripturis, suprascriptam depositionem, & manum suam in ea apposita, et confirmauit, et ratificauit omnia in ea depositione contenta esse uera, et se illam depositionem fecisse pro ueritate, et nulla alia causa, remoto a se omni humano affectu. Addendo insuper hæc uerba, uidelicet. Io giuro sopra queste lettere, che chi mi donasse cento scudi il giorno, non starei qui un mese, et chi ci stara', se ne pentira'.

Eisdem die, anno, loco, & testibus, Magnificus, & egregius artiu& & medicinæ doctor. D. Balduinus de Balduinis medicus familiaris, & domesticus Reuerendissimi, & Illustrissimi Domini Cardinalis de Monte Legati Sacrosancti Concilii, recognouit depositionem suprascriptam, et manum suam, iurans ad sancta Dei Euangelia, contenta in ea uera esse, et se ea dixisse, et dicere pro ueritate, et quia sic dictat conscientia sua, et pro exoneratione fuæ conscientiæ.

Successive ipse Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus Cardinalis de Monte Præsidens, & Legatus præfatus, uersus ad ipsos patres, dixit. Reliquum est, ut nunc super Decreto ex mente ma-

C ii

## TRANSLATIO.

ioris partis Patrum concepto, et formato, sententias uestras libere dicatis. Et nulla mora interposita, legit alta, intelligibili uoce decretum ipsum subsequentis tenoris, uidelicet.

### Decretum Translationis.

Placet ne uobis decernere, et declarare de huiusmodi morbo ex præmissis, et aliis allegatis, ita manifeste, et notoriè constare, ut Prælati in hac ciuitate sine uitæ discrimine cōmorari, & in ea iccirco inuiti minime retineri possint, et debeant. Itemqùe attento recessu multorum Prælatorum post proximè præteritam Sessionem: et attentis protestationibus aliorum quamplurium Prælatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire uolentium, qui iustè detineri non possunt, et ex quorum discessu Concilium, uel dissolueretur, uel ex paucitate Prælatorum bonus eius progressus impediretur: et attento etiam imminenti periculo uitæ, et aliis causis per aliquos ex patribus in ipsis Congregationibus allegatis, ut posse notoriè ueris, & legitimis. Placet ne uobis similiter decernere, et declarare pro conseruatione, et prosecutione ipsius Concilii, securitate uitæ ipsorum Prælatorum, Concilium ipsum ad Ciuitatem Bononiæ, ueluti ad locum magis paratum, salubrem, & idoneum pro tempore transferendum esse, et ex nunc transferri: et ibidem Sessionem iam indictam statuta die. XXI. Aprilis, celebrandam esse, et celebrari: et sucessive ad ulteriora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro, et sacro Concilio expedire uidebitur, ut ad hunc, seu alium locum, communicato etiam consilio cum Inuictissimo Cæsare, Christianissimo Rege, et aliis Regibus, ac principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit, ac debeat?

Quo decreto lecto, unusquisqùe etiam interrogatus singulariter à me Angelo Maserello Secretario Concilii una cum Domino Claudio della Casa ipsius Concilii Notario, dixit alta, et intelligibili uoce sententiam suam in hunc, qui sequitur modum, uidelicet.

Reuerendissimis, & Illustrissimis Dominis Præsidentibus, et le-

## CONCILII. Fo. XI.

gatis Placet decretum, et omnia alia adducta, et probata, tanquam uera, et legitima approbant.

Reuerendissimus D. Cardinalis Geennen, dixit, nō sufficere allegata per Promotorem, quia eorum maiorem partē scit esse falsa. Fit contra ius translatio, cum nulla sit causa legitima. Esse transferendum in eandem Prouinciam, si esset transferendum, iuxta formam Concilii Constantien. Quare protestatur se non assentiri translationi. Posset tamen Sessio prorogari.

R.D. Archiepiscopo Spalatren. Placet Decretum.

R.D. Archiepiscopus Turritan. dedit cedulā infra scripti tenoris, uidelicet. Quia proposita translatio Concilii ad Ciuitatem Bononiæ ab hoc loco, in quo legitime in Spiritu sancto congregatum, et inchoatum existit, uidetur mihi coram Deo uerisimiliter allatura scandalum, et perturbationem reductioni errantium Germanorum, & paci, ac unitati Ecclesiæ, hæresumqùe illarum extirpationi: propter quod Conuentus in hoc præcipue loco celebratur, à sacri Imperii Ordinibus acceptato: id quod maxime hoc tempore speratur, quo pacata, et subacta Prouincia, iam rerū potitur catholicus Imperator, et ad Religionis præsertim negotia, de quibus agimus, Diætam indixit: cui uel hoc nomine parum commodos non dubito nos futuros, ne dum nobis ipsis importunos. Cum hoc præsertim temptari uideam sine scientia, et uoluntate Sanctissimi Romani Pont. quo mandante huc conuenimus, cuius speciale oraculum res huiusmodi desiderabat. Ideo non probatur mihi, nec placet, sed nequè credo de iure licere hoc patribus, in consulta sua Sanctitatis præfata, & propter rationabilem contradictionem, etiam minoris partis: præsertim quia numerus non in tantum excedit, ut excludat alias iuridicas considerationes, quas non impedit modicus excessus in numero, in quo nequè in multitudine, sed ratione uincendum est: Et alias timori, ac saluti Patri per prorogationem indictæ Sessionis ad certum tempus, uel ad beneplacitum Sanctitatis suæ, & sanctæ Synodi, citra Concilii dissolutionem, uel coactionem opportunius poterat esse consultum: etiam si causa contagionis prætensa legitima foret, et iuridice, ac mature discussa fuisset, nec in controuersiam, uel dubium ueteretur.

## TRANSLATIO.

R.D.Archiepiscopo Antibaren.placet decretum , & omnia alia.  
 R.D.Archiepiscopo Materan.placent decreta omnia.  
 R.D.Archiepiscopo Naxien.placent omnia decreta.  
 R.D.Archiepiscopo Vpsalen.placet decretum.  
 R.D.Archiepiscopo Panormitan.non placent quousquē Papæ, et  
     Imperatoris uoluntas habeatur.  
 R.D. Archiepiscopo Armacan . placet decretum cum clausulis  
     adiectis.  
 R.D.Epūs Senogallien,dixit.Probo Decretum,& translationem  
     ad beneplacitum Sanctissimi Domini nostri,et huius sacri Concilii,  
     ob urgentem necessitatem:adhibito(si opus est)singulari cuiusque  
     nostrum iuramento,huc reuertendi,quando cunque suæ Sanctitati,et sacro Concilio pro rebus religionis uidebitur expedire,  
     si quo modo possimus Reuerendissimos Dominos Hispanos fratres nostros inducere ad conueniendum nobiscum . Quod si nolint:et ex hoc timendum sit de aliquo schismate , censerem quod  
     potius hic moreremur omnes , quam quod hodie occasionem schismatis præberemus in Ecclesia Dei.  
 R.D.Episcopo Asculan.placet decretum.  
 R.D.Episcopo Feltren . placet decretum quoad omnes partes:  
     neque Concilium Constantien.obstat,cui derogari potest.  
 R.D.Episcopo Acien.de Nobilibus placet decretum,neque derogetur Concilio Constantien.cui iam derogatum est.  
 R.D.Episcopo Militen . placet decretum.  
 R.D.Episcopo Isernien. placet decretum.  
 R.D.Episcopo Placentin. placet decretum.  
 R.D.Episcopo Torcellan . placet decretum.  
 R.D.Episcopo Gaddicen, placuisse quod antequam de Translatione Concilii quicquam deliberatum esset , quod humilitate,et  
     reuerentia,quam summo Pontifici Domino nostro debemus,Sanctitatem suam consuluissemus:Tamen si Reuerendissimi Domini  
     Præsidentes in hoc mentem Sanctitatis suæ sciunt,sum in sententia patrum,qui uolunt Concilium Bononiam transferri.  
 R.D.Episcopo Sibinicen.placet decretum.  
 R.D.Episcopo Fesulan.non placet Concilium transferri.  
 R.D.Episcopo Sancti Marci non placet, quia causa non est iusta.  
     de dit

## CONCILII. Fo. XII.

deditque infra scriptā cedulam,uidelicet.Ego persisto in hester-  
 na sententia , et dico me nullo pacto assentiri huic translationi,  
 propterea quod causa non uidetur iusta,et idonea , et quia fit in-  
 consulto Sanctissimo Domino nostro, incōsulto Cæsare,et Chri-  
 stianissimo.  
 R.D.Episcopo Alben.placet decretum , quia causa translationis  
     est manifesta,nec obstat Concilium Constantien.  
 R.D.Episcopo Vasionen.placent omnia decreta.  
 R.D.Episcopo Portuen.placet mansio hic,uel trāslatio, dummo-  
     do Patres conueniant.  
 R.D.Episcopus Bossanen.nō probat causam translationis, et per-  
     sonæ examinatæ sunt suspectæ,et propterea non placet transla-  
     tio,& quia non constat de uoluntate Papæ,de qua si constaret,  
     placeret.  
 R.D.Episcopo Emonien.placent omnia decreta.  
 R.D.Episcopo Castellimaris non placet,quia Reuerendissimi Do-  
     mini Legati non ostenderunt habere potestatem transferendi,  
     et permanentes sunt obedientes suæ Sanctitati,et placet sente-  
     tia Reuerendissimi Domini Cardinalis Geennen. et repetit ea,  
     quæ heri dedit in congregazione.Si autem constaret de māda-  
     to Sanctissimi Domini nostri,obediret.  
 R.D.Episcopo Taruisin.placet decretum.  
 R.D.Episcopo Parentin.placent omnia.  
 R.D.Episcopo Motonen . Coadiutori Veronen.placet decretū.  
 R.D.Episcopus Agathen.non probat, neque reprobat,persisten-  
     do in uoto hæsterno:Hoc tantum optat , ut Synodus faciat id,  
     quod Ecclesiæ,et Republicæ Christianæ expediens est.  
 R.D.Episcopo Salutarum placet decretum in omnibus, dicens.  
     Iudico ex notorio,quod nulla egeat probatione , ex abundanti  
     tamen probo informationes promotoris.Auctoritatem Sæctissimi  
     Domini nostri agnosco,et ueneror in Reuerendissimis Do-  
     minis Legatis:nullam aliām necessariam de iure puto præter af-  
     fensem maioris partis patrum, cum ipsis Reuerendissimis Do-  
     minis Legatis:censo que derogandum quibus cunque in contra-  
     rium facientibus,ex abundant.  
 R.D.Episcopo Lancianen.non placet,cum non sit causa legitima:

## TRANSLATIO.

præsertim sine consultatione Sanctissimi Domini nostri , et Reuerendissimi Domini Legati non habeant potestatem.

R.D.Episcopo Siracusani. nō placent informationes sumptæ per promotorem, quia non sunt ueræ, nequæ placet decretum quo usque non uidero mandatum suæ Sanctitatis: cui est paratus obedi re, deditquæ cedulam infra scripti tenoris, uidelicet. Heri dixi sententiam meam in generali congregatione, quam etiam scriptam tradidi: et in eadem quoquæ perfisso, uidelicet quod nullo modo mihi placet translatio Concilii, cum nulla subsit causa legitima, seu legitime probata, et quæ allegatur, est leuissima, cum reuera pauci infirmantur in Ciuitate ista, et ex illis quasi nullus moritur. Nam rem agimus magnæ importantiæ de statu totius christianæ Religionis. Et si Cœciliū hoc est per tot annos desideratum, et tantis laboribus tandem per Sanctitatem Domini nostri congregatum, accedente etiam consensu, et uoluntate Cæsarea Maiestatis, et Christianissimi Regis, ac aliorum Principum christianorum, nullo modo debuit ita præcipitanter transferri, nisi prius consulto Sanctissimo Domino nostro Pontifice Romano, et Cæsarea Maiestate, et reliquis Principibus Christianis: quod per breve tempus fieri poterat. Propterea (nisi prius consulatur Sanctitas Domini nostri, Cæsarea Maiestas, Christianissimus Rex, & reliqui Principes Christiani) ea uia, qua de iure possum, et debo, protestor me non consentire recessui, nec translationi, nec mutationi Concilii.

R.D.Episcopo Milonen. Ferretto placet decretum.

R.D.Episcopo Caprulan. placet decretum.

R.D.Episcopo Vigornien. placet decretum.

R.D.Episcopo Corsulan. placet decretum.

R.D.Episcopo Bellicastren. placet decretum, quia est informatus de hoc morbo, qui maximè uiget.

R.D.Episcopo Pacen. nō placent informationes Promotoris, nequæ translatio, præsertim cum non constet de mandato Pontificis, et est in sententia Reuerendissimi Cardinalis Geennen.

R.D.Episcopo Astoricen. nō placent probationes, quia non sunt factæ auctoritate judiciali: equæ placet translatio, cum non appareat de uoluntate Sanctissimi Domini nostri: nequæ placet locus

## CONCILII. Fo. XIII.

locus, quo' transfertur, quia non est liber. Quod si aliter constaret de uoluntate Sanctissimi Domini nostri, est paratus obedire.

R.D.Episcopo Britonien. placent omnia: et placet sententia Reueren. D. Salutarum Vicarii Sanctissimi Domini nostri.

R.D.Episcopus Aquinas dixit. Si uera sunt quæ recitata sunt de morbo, placet decretum.

R.D.Episcopo Pisaurien. placent omnia, quæ iuridica esse censet.

R.D.Episcopus Oscen est in sententia Reuerendissimi Domini Cardinalis Geennen, & cæterorum protestantium.

R.D.Episcopo Famagustan placent omnia.

R.D.Episcopo Albinganen. quia causæ sunt notoriae, placet omnia.

R.D.Episcopo Calaguritan. non placet Decretum, et causa non est sufficiens: in re tanti momenti maturius esset deliberandum, et non ita timidè, et præcipitanter procedendum.

R.D.Episcopus Canarien. dixit. Nunquam placuit, nequæ placet, quia causa non est sufficenter probata, et quia nequæ Papa, nequæ Cæsar fuerunt consulti: quare expectetur donec ipsi consulantur, adminus per octo dies.

R.D.Episcopo Narnien placent omnia.

R.D.Episcopo Alyphan. placent omnia recitata tanquam iuridica.

R.D.Episcopo Minorien placet Decretum, et omnia recitata, tum propter multas rationes adductas à multis patribus, qui bus translatio placet, tum multo magis propter rationes adductas à contradicentibus.

R.R.D.D. Luciano, & Chisostomo Abb. Congregationis Montis Cassi. placet decretum.

R.D.Generali Prædicatorum placet Decretum.

R.D.Generalis sancti Augustini dixit. Causæ allegatae per Promotorem ueræ sunt, ideo placet Decretum.

R.D.Generali Seruorum placet decretum.

Quæ quidem sententiæ fuerunt per me Angelum Secretarium præfactum, alta, et intelligibili uoce singulariter numerata, et recitatæ, ita ut quilibet ex patribus audierit, et recognoverit, et iterum approbauerit, et ratificauerit sententiam suam,

D

## TRANSLATIO.

et ex sententiis ipsis sic numeratis, repertum fuit, quod decre-  
tum ipsum ex quinquaginta et sex Patribus, placuit omni-  
bus, quatuordecim tantum exceptis, et eorum aliquibus ex ea  
maxime ratione, quod affererent non constare de uoluntate  
Sanctissimi Domini nostri, & translationem non posse fieri a  
solo Concilio, affirmando si constaret de uoluntate sanctita-  
tis suæ, consentirent, et quandocumque constabit, erunt parati  
obedire. Aliqui etiam ex ipsis dixerunt Concilium fuisse indictū  
per Sanctitatem suam communione habita cum Cæsare, & quod  
Cæsar ipse ægre feret.

Quibus auditis, Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus Car-  
dinalis de Monte Præsidens, & Legatus prædictus, alta, et intelli-  
gibili uoce dixit hæc uerba, uidelicet. Quoniam aliqui in congre-  
gationibus generalibus asserebant Nos Legatos, et Præsidentes  
non habere mandatum à Sanctissimo Domino nostro ad hanc  
translationem, ideo ut nemo de cætero possit quoquis colore præ-  
tendere ignorantiam de potestate nostra, et eo prætextu non pa-  
rere præsenti Decreto, producimus, et exhibemus hanc Bullam,  
quam ab initio nostræ Legationis penes nos habuimus semper,  
& noluimus eam hactenus propalare, ut omnes cognoscant, et  
manu tangant quantum semper uoluerimus omnes Patres esse li-  
beros in sententiis dicendis, et quæta animi synceritate, ac puritate  
gesserimus nos semper in directione sacri Concilii. Legatur ipsa  
Bulla, et deinde declarabimus mentem nostram. Et statim per  
Dominum Notarium fuit mihi Angelo Massarello Secretario  
consignata dicta Bulla, quam legi alta, et intelligibili uoce. Cuius  
quidem Bullæ tenor sequitur, et est talis.

Bulla facultatis Transferendi Concilium.

Paulus Episcopus seruus seruorum Dei, Venerabili fratri Ioan-  
nimariæ Episcopo Prænestin, & dilectis filiis Marcello tituli san-  
ctæ Crucis in Hierusalem Præsbytero, ac Reginaldo sanctæ Ma-  
riae in Cosmedin Diacono, Cardinalibus nostris, et Apostolicæ se-  
dis Legatis de latere, salutē, & apostolicā benedictionē. Regimini

## CONCILII. Fo. XIII.

\* Vniuersalis Ecclesiæ (meritis licet imparibus) disponente Domi-  
no, præsidentes nostri officii partes esse putamus, ut siquid gra-  
uius causa Reipublicæ Christianæ cōstituendum sit, id non modo  
tempore opportuno: uerum etiam loco commodo, et idoneo  
perficiatur. Cum itaq; nos nuper postquam suspensionem cele-  
brationis sacri oecumenici, et uniuersalis Concilii, alias per nos in  
ciuitate Triden. ex causis tunc expressis, de uenerabilium fratrum  
nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium consilio, et al-  
sensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis usq; ad ali-  
ud opportunius, et commodius tempus per nos declarandum, de si-  
mili consilio, & assensu factam, audita pace inter charissimos in  
Christo filios nostros Carolum Romanorum Imperatorem sem-  
per Augustum, et Franciscum Francorum Regem Christianissi-  
mum, conciliata, pari consilio, et assensu sustuleramus, & amouera-  
mus: nequeentes ipsi tunc legitimè impediti, ad dictam Ciuita-  
tem personaliter accedere, et eidem Concilio interesse: Vos no-  
stros, et Apostolicæ Sedis Legatos de latere in eodem Concilio  
de simili consilio constituerimus, et deputauerimus: Vosq; ad  
eandem ciuitatem tanquam pacis Angelos destinauerimus, prout  
in diuersis nostris desuper confectis literis plenius continetur.  
Nos ne tam sanctum celebrationis Cōcilii huiusmodi opus ex in-  
cō moditate loci, aut alias quoquis modo impediatur, aut plus de-  
bito differatur, opportunè prouidere uolentes, motu proprio, &  
ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, pari-  
quæ cōsilio, et assensu, Vobis insimul, aut duobus ex uobis, reliquo  
legitimo impedimento detento, seu inde forte absente, quando-  
cumque uobis uidebitur, Concilium prædictum de eadem Ciuita-  
te Triden. ad quamcumque aliam commodiorem, et oppor-  
tuuorem, seu tutiorem Ciuitatem, de qua uobis etiam uidebitur,  
transferendi, et mutandi, ac illud in ciuitate Triden. supprimen-  
di, et dissoluendi. Necnō Prælati, et aliis personis Concilii huius-  
modi, ne in eo ad ulteriora in dicta Ciuitate Triden. procedant,  
etiam sub censuris, et pœnis ecclesiasticis inhibendi: ac idem Cō-  
cilium in alia ciuitate huiusmodi, ad quam illud transferri, et mu-  
tari contigerit, continuandi, tenendi, et celebrandi, et ad illud  
Prælatos, et alias personas Concilii Triden. huiusmodi etiam sub

D ii

## TRANSLATIO.

periurii, et aliis in literis inductionis Concilii huiusmodi expræssis pœnis, euocandi: eidemqùe sic translato, et mutato Concilio, nomine, et auctoritate prædictis præsidendi, ac in eo procedendi, cæteraque in præmissis, et circa ea necessaria, et opportuna, aliàs iuxta priorum uobis directarum literarum continentiam, & tenorem, faciendo, statuendo, ordinando, et exequendo, plenam, et liberam apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus potestatem, & facultatem: ratum, et gratum habituri quicquid per uos in præmissis factum, statutū, ordinatum, executumqùe fuerit, idqùe facturi auctore Domino inuolabiliter obseruari. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisqùe contrariis quibuscumqùe. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum. Anno incarnationis Dominicæ. Millesimo quingentesimo, quadragesimoquarto. Octauo Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno Undecimo.

Fabi. Epüs Spol.

Reg. apud Fabium Secretarium.

B. Motta.

Qua Bulla sic lecta, statim præfatus Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus Cardinalis de Monte Præsidens, & Legatus prosequendo dixit. Nos tam huius Bullæ uirtute, & uigore, ac speciali dispositione, quām nostræ Legationis, et Præsidentiæ auctoritate, ac tam coniunctim, quām separatim, et aliàs etiam si opus sit, tanquam Episcopi, et Cardinales, omni meliori modo huiusmodi translationi Concilii ad ciuitatem Bononiæ iuxta sententias maioris partis Patrum, inheremus, et eam approbamus, et ratificamus: gesta, facta, et dedueta per Dominum Promotorem admittentes, et omnibus inhibentes sub pœnis in ipsa Bulla contentis, ne quid contra translationem huiusmodi attentare præsumant: et mandantes, ut in dicta die Vigesimali prima Aprilis ad Ses-

## CONCILII. Fo. XV.

sionem celebrandam in Ciuitate Bononiæ comparere debeant. Nec de uoluntate Sanctissimi Domini nostri, aut indignatione Cæsar is dubitandum uidetur: cum non sit uerisimile Sanctitatem suam esse tam crudelem, et similiter Maiestatem suam, ut uelint Patres ita in aliquo loco circumscriptos permanere, ut etiam si eis uitæ periculum immineat, ex ipso loco discedere non possint, et se ad locum salubriorem, et commodiorem transferre. Nam neqùe diuina, neqùe humana iura id uolunt, & omnibus animabitibus est à natura tributum, ut se, uitamqùe suā tueantur. Et ideo dicimus, et declaramus Translationem ipsam Concilii ad ciuitatem Bononiæ esse legitimè factam, et subsistere, et hic deinceps nullum esse Concilium.

Tunc idem Dominus Promotor rogauit omnes Notarios, et Prothonotarios, ut de præmissis unum, uel plura instrumentum, uel instrumenta conficerent. Quibus expletis, cantatus fuit Hymnus. Te Deum laudamus. Et unusquisque depositis paramentis, ad propria remeauit.

### NOMINA, COGNOMINA, ET PATERIAE PRÆLATORUM, QUI INTERFUERUNT SUPRASCRIPTÆ TRANSLATIONI SACRI CONCILII.

### PRAESIDENTES; ET LEGATI.

Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus D. Joannesmaria Episcopus Prænestinus, de Monte. Aretinus.  
Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus, Dominus Marcellus tituli Sanctæ Crucis in Hierusalem Præsbyter, Ceruinus. Politianus.  
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, sacri Concilii Præsidentes, et Legati Apostolici de latere.

### CARDINALES.

Reuerendissimus, & Illustrissimus Dominus, Dominus Petrus

# TRANSLATIO.

Paceccus, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Præsbyter Cardinalis  
Geennæ.

Hispanus.

## ARCHIEPISCOPI.

R.D. Andreas Cornelius Archiepūs Spalatren	Venetus.
R.D. Saluator Alexius Saffarus Archiepiscopus nus.	Turrita. Hispanus.
R.D. Ludouicus Chieregatus Archiepūs Antibaren.	Vicentin.
R.D. Ioannesmichael Sarracenus Archiepiscopus Materan, et Acheruntin.	Neapolitan.
R.D. Sebastianus Lecauela Archiepūs Naxien.	Græcus.
R.D. Olaus Magnus Archiepūs Vpsalen.	Gothus.
R.D. Petrus Tagliauia Archiepūs Panormitan.	Siculus.
R.D. Robertus Vauchop Archiepūs Armacan.	Scothus.

## EPISCOPI.

R.D. Marcus Vigerius Epūs Senogallien.	Sauonen.
R.D. Philos Rouerella Epūs Asculan.	Ferrarien.
R.D. Thomas Campegius Epūs Feltren.	Bononien.
R.D. Benedictus de Nobilibus Epūs Acien.	Lucensis.
R.D. Quintius de Rusticis Epūs Militen.	Roman.
R.D. Antonius de Numais Epūs Ifernien.	Foroliuen.
R.D. Cathalanus Triultius Epūs placentin.	Mediolan.
R.D. Hieronymus Fuscherus Epūs Torcellan.	Venetus.
R.D. Hieronymus de Theodolis Epūs Gaddicen.	Foroliuen.
R.D. Ioanneslucius Staphileus Epūs Sibinicen.	Illiricus.
R.D. Braccius Martellus Epūs Fefulan.	Florentin.
R.D. Coriolanus Martiranus Epūs sancti Marci.	Neapolitan.
R.D. Hieronymus Vida Epūs Alben.	Cremonen.
R.D. Jacobus Cortesius à Prato Epūs Vafionen.	Roman.
R.D. Baldassar Lympus Epūs Portuen.	Portugallen.
R.D. Baldassar de Hæredia Epūs Bossanen.	Hispan.
R.D. Alexander de Vrsis Epūs Emonien.	Venetus.

# CONCILII. Fo. XVI.

R.D. Ioannes Fonseca Epūs Castellimaris.	Hispan.
R.D. Georgius Cornelius Epūs Taruisin.	Venetus.
R.D. Ioannes Campegius Epūs Parentin.	Bononien.
R.D. Ludouicus Symonetta Epūs Pisaurien.	Mediolan.
R.D. Aloysius Lipomanus Episcopus Motonen, Coadiutor Vronen.	Coadiutor Venetus.
R.D. Claudio de la Guische Epūs Agathen.	Gallus.
R.D. Philippus Archintus Episcopus Salutiarum, &issimi Domini nostri Papæ in Vrbe.	Vicarius San. Mediolan.
R.D. Ioannes Salazar Epūs Lancianen.	Hispan.
R.D. Hieronymus de Bononia Epūs Siracusian.	Siculus.
R.D. Io. petrus Ferretus Epūs Mylonen.	Rauenaten.
R.D. Egidius Falcetta Epūs Caprulan.	Cingulan.
R.D. Riccardus Patus Epūs Vigornien.	Anglicus.
R.D. Marcus Maliperius Epūs Corsulan.	Venetus.
R.D. Jacobus Iacobellus Epūs Bellicastren.	Roman.
R.D. Franciscus de Nauarra Epūs Pacen.	Hispan.
R.D. Didacus de Alaba Epūs Astoricen.	Hispan.
R.D. Thomas Casellus Epūs Britonorien.	Rossanen.
R.D. Galeatius Florimontius Epūs Aquinaten.	Sueßan.
R.D. Philippus Bonus Epūs Famagustan.	Venetus.
R.D. Ioannesbaptista Cicada Episcopus Albinganen, Auditor Cameræ Apostolicæ.	Ianuen.
R.D. Bernardus Diaz Epūs Calaguritan.	Hispan.
R.D. Gregorius Castagnola Epūs Mylonen.	Græcus.
R.D. Petrus Donatus Cesius Epūs Narnien.	de Cesis.
R.D. Antonius de Cruce Epūs Canarien.	Hispan.
R.D. Sebastianus Pighinus Epūs Alyphan.	Regien.
R.D. Ambrosius Catharinus Politus Epūs Minorien.	Senen.

## ABBATES.

R.D. Lucianus de Octonibus Abbas Pomposiæ Ferrarensis.	Mantuan.
R.D. Chrisostomus Gimilianensis, Abbas Sandissimæ Trinitatis de Caieta.	Calaber.

TRANSLATIO.


GENERALES ORDINVM:

- R.P. Franciscus Romeus, Generalis Ordinis Prædicatorum,  
de Castellione, Aretin.  
R. P. Hieronymus Seripandus, Generalis Ordinis Heremitarum  
sancti Augustini. Neapolitan.  
R. P. Augustinus Bonucius, Generalis Ordinis Sanctæ Mariæ  
Seruorum. Aretin.

276610

2271 CCA

Biblioteca comunale dell'Archiginnasio



**SCAFFALI ONLINE**  
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

Translatio sacri Concilii ex Tridento ad ciuitatem Bononiae. - Bononiae : apud Anselmum Giaccarellum, 1548

Collocazione 16. P. II. 21 op. 2

<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO2890883T>

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



[4.0: http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode](http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode)

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore  
contattare: [archiginnasio@comune.bologna.it](mailto:archiginnasio@comune.bologna.it)